

« ferri, ut nichil deinceps nisi dolores viteque molestias, mortem quo-
 « que proximam omnium finem sperare possim. ex hisque maxime
 « que de te opto, est ut spem posteritatis carosque michi nepotes
 « des priusquam moriar, qui duram mollient etatem senilesque cu-
 5 « ras leniant, atque eius, in quo tu michi precipue places, clara in-
 « dole in se prestant argumenta. volo igitur, nisi tu aliter sentis,
 « ut uxorem habeas; quam licet sit rarum admodum prope votum
 « reperire, curabo tamen ut non multum moribus dissimilem tibi
 « iungam, cum qua, sobole abundans, letos utinam dies agas. admo-
 10 « nitus sum equidem nuper de adolescente quadam bonorum morum,
 « ut est fama utque ego cognovi, et bonis parentibus orta, que condi-
 « tionem nostram non dedebeat^(a); ac etiam, quod fortuna spectare co-
 « git, non parve dotis, quam sumas magnopere te hortor, et in hoc
 « animo meo convenias. sic etenim et liberos dare et studia tua com-
 15 « modius complere, senescentiumque parentum incommoda tollere
 « poteris. neque quidem ego, etsi prolem abs te avidius vellem, ad
 « hoc te tantopere inducerem, si domus pristineque fortune starent;
 « quinimo placeret ut securus et liber litteris ac studiis tuis, usquequo
 « velles, intenderes. sed vides fortunas nostras, videsque quam hu-
 20 « mili loco deiecti sumus. hoc pacto poteris, si voles, tibi nobisque
 « commodo esse ac rem familiarem undique erigere, donec maturior
 « etas studiorum tuorum cumulatos afferat fructus. tecum igitur co-
 « gita, et quid de te statueris michi protinus reddes ». bonum, ut
 vides, amice, parentem sortitus sum, qui non violentus, ut ceteri^(b),
 25 cogere tendit, sed placidus gerunde rei arbitrium dat inque manu
 mea ponit; addit tamen efficacia verba, que facile alium quenvis
 moverent, cui non tantum cure^(c) animi libertas esset. sed quid
 deliberatione ulla aut cogitatione opus erat, qui michi iandudum
 aliter persuaseram animoque penitus infixeram, omni ingenio eni-
 30 tendum ut liber essem utque ne paterer unquam me astringi con-
 iugio, nisi pater, apud quem mei et mearum rerum ius est, suo
 iussu contrarium cogeret? ne quid tamen omitterem, hanc di-
 sputationem, mecum sepius actam, iterum in animo contuli, sed,
 discussis hinc inde rationibus, nichil potui de priore sententia mu-

^(a) *Ra deceat*

^(b) *Ra certi*

^(c) *Ra corr. cure in cura*

<sup>la conoscenza di
una fanciulla co-
stumata, bennata,
di buona dote,</sup>

<sup>ed i vantaggi che
ne deriverebbero
per loro tutti,</sup>

<sup>nell'avversa fortu-
na attuale.</sup>

<sup>Loda l'indulgenza
del padre, che non
comandava, ma fa-
scilava la decisione
al figlio suo.</sup>

<sup>Però, non gli era
di bisogno medita-
re sopra una que-
stione che aveva
già più volte ri-
solta, né dopo un
nuovo esame po-
teva mutare il pro-
prio avviso.</sup>